

patam¹⁾), sed cuidam militum beneficio concessam, renuenti vicissitudinem²⁾), sapienti usus consilio, sancto ex integro adquisivit.

Portionem³⁾ quin etiam alodi Maziacus vocabulo, donato nobilissimo virorum Balduino uno X librarum equo, suo destinavit monasterio, cuius scriptum traditionis nostris retinetur in archivis.

Deinceps equidem alodum, quem dicunt Adpinum, pone prelibatum Germiniacum situm, a Rainardo comite⁴⁾ Senonum huic summo concessio confessorum, sed Soliacensium diu potestati subditum, nostrum revocavit ad dominium.

5. De cetero haudquaquam⁵⁾ censeo pretereundam commutationem inter prefatum regem et hunc divę memorię abbatem. Igitur abbatia sancti Aniani, posita secus muros Aurelianiensis urbis, Neustrię principi subacta semper deguit. De cuius possessionum rebus haud despicabilem Oddo⁶⁾ comes tenebat largitionem, regali munificentia sibi indultam, hoc est: Meleredum⁷⁾, Asenniacum, cum omnibus appendiciis eorum, servis, ancillis, capella quoque sancti Aniani, et haec omnia in perspectum Floriacensis loci, quę res nostris maximum inferebat incommodum. Perpendens ergo Dei devotissimus cultor cotidianam suorum afflictionem, et quodam modo Pharonis oppressionem, statuit uti pius Moyses, ab his angustiarum calamitatibus sibi commissum eruere populum per Dei auxilium, animatusque divini igne fervoris, memoratum regem petiit; suorum diutinas querelas exposuit. Quid plura referam? pactis ferme quadringentarum nomismatibus librarum, effecit quod Oddo⁸⁾ comes sui fisci reciproca in Blesensi territorio recipiens predia ad Floriacense coenobium devenirent pretaxata. Mirum dictu, his ab illo receptis, quę nostrę aliquando vix deservierant utilitati, istisque per Dei gratiam et hunc toto orbe predicandum pastorem nobis largitis, quę inestimabili vix possent pretio redimi.

6. Preterea Atto clericus, sanctę Bituricensis sedis canonicus, noster quondam effectus monachus portionem castri Castelli Novi⁹⁾ dicti, quę iure hereditario obvenerat, huic contulerat legislatori, quę, partim negligentia nostrorum, partim quoque quorundam fraude adversariorum, multis evolventibus curriculis annorum, sub potestate deguit alienorum, videlicet Dolensis¹⁰⁾ monasterii monachorum. Hoc ita¹¹⁾ haberi iocun-

1) Authon, dép. Seine-et-Oise, c. Dourdan (Delisle). 2) Hs: vicissitudine. 3) Hinter portionem bleibt ein Platz für etwa 20 Buchstaben leer. 4) Hs.: comiti. 5) Hs.: handquamquam. 6) So verbessert der Corrector aus: Odo. — Delisle: Eudo II, Graf von Blois, Chartres und Tours. 7) Delisle konnte nach seiner Lesart Melereicum zweifelhaft sein, ob Melleret oder Melleroi gemeint sei. Melleret, dép. Loiret, c. Pithiviers. 8) So verbessert der Corrector: Odo. 9) Château neuf-sur-Cher, dép. Cher (Delisle). 10) Abtei Bourgdien, diöc. Bourges (Delisle). 11) Hs.: itaque.